DE
TINEAE PATHOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE XXX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCXXXIX

PUBLICE DEFENDET

ADOLPHUS HERR,
WETZLARIENSIS.

OPPONENTIBUS AMICIS:

ANT. WILLEMS, med. et chir. Dd.
PET. KESSEL, med. et chir. Dr.
CHRIST. MUELLER, med. et chir. Dr.

Cum tabula lithographica.

BONNAE,
TYPIS CAROLI GEORGII.
MDCCCXXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICIN. CHIRURG. PHILOSOPH. DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER.
COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

SCRIPTOR.

Prooemium.

Quum omnium morborum divisio secundum complexum symptomatum formamque externam, quo maiores progressus pathologia his temporibus fecit anatomia pathologica inprimis adiuvante, eo magis e pathologorum libris fugata sit atque remota: tum cutis eruptionum ratio horum inprimis temporum luce illustrata earumque divisio secundum normas legesque scientiae est constituta. Sunt autem eruptionum formae quamvis variae certis tamen, ut videtur, legibus adstrictae, ut alliciant quasi ad principium dividendi inde sumendum. Qua quidem ratione exorta sunt systemata *Plenkii, Willani, Batemani, Aliberti*, aliorum, quae eruptiones magis tanquam imagines coloratas, quam conditiones vitae considerabant. Quam manca vero sit haec dividendi ratio, uberius exponere, eiusque vitia enumerare, hisce paucis verbis longum est. — Conditionem cutis magis respiciebant *Lorry*, *Reil*, *Plumbe*, *Wilkinson*, *Rayer*. Cl. *Nasse* *) vero primus aegritudines illas tam varias ad certas rationes internas constanter reduxit, reductas-

*) Cf Versuch einer praktischen Eintheilung der Hautkrankheiten. Berlin 1834. p. 40 sq.

que ordinavit, ita, ut duo exorirentur genera: merae functionis turbationes et degenerationes cum functione turbata. Illud genus: irritationem, irritabilitatem adauctam, torporem, plethoram et inflammationem, hoc degenerationes sine forma externa mutata, dyscrasias et pseudo-productiones complectitur.

Diagnosin vero speciei eruptionum secundum haec genera atque ordines non sufficere plane constat; suam enim quaeque forma conditionem internam poscit, et ipsae diversae morbillorum atque scarlatinae maculae diversas habeant conditiones cutis necesse est. Hoc autem, ex parte, ne dicam omnino, in variis cutis et formationibus et organis quaerendum videtur. — Quod microscopii ope his rebus perparvis lux fere sola afferri potest diagnosin difficillimam reddit. Nonnullas eruptionum species in certis cutis organis sedem collocare, iam constat, ut acnen, et lupum: plurimae vero adhuc restant explorandae, et huicce pathologiae generi, quae hisce pagellis proponere incepi, tempore futuro fortasse Deo favente finienda adscribere velim.

Originem nominis „tinea" *Lorryus* [1]) ab ultima syllaba Arabici vocabuli „Alvathim" ducit, quo quidem verbo promiscue cum nominibus *Sahafati* [2]), *Saphatim* [3]), *Albacore* et *Albatim* Arabes morbum illum capitis significasse censet. Sed diversam horum nominum significationem Meyerus dissertatione „de Tineae pathologia" ex auctoribus ipsis inprimis Avenzoar eiusque interpretibus, Arabes enim solum vocabulo Sahafati seu Safati ad designandum hunc morbum usos esse, doctissime demonstravit. [4]) — *I. P. Frank* barbarum esse nomen censet. [5]) *Blasius* nota ad paginam 190 *Batemani* nomen „tinea" a vetere vocabulo tinea, quod nos „*Motte*, *Laus*" ex aspectu corroso cutis ducit, idque ut videtur, aptius. Accedit etiam huic sententiae *Meyerus* [6]) ex magna illarum be-

---

1) Si eidem auctori (Avicenna) credamus, ab humore melancholico causam accipit, cutem corrumpit atque corrodit, haecque est alvathim, a quo nomine barbari ut videtur, thim et tineam fecerunt. Lorry de morbis cutaneis. Paris. 1777. p. 463.

2) Avicennae lib. canonis. lib. IV. Fen. vir. tract. III. C. 1.

3) Tract. Mesue summ. I. cap. 3.

4) Cf. Anna Carl Lorry Von den Krankheiten der Haut. Aus dem Lateinischen von Dr. Chr. Fr. Hold. vol. II. p. 125 u. 126. Leipz. 1779.

5) De cur. homin. morbis Tom. IV. p. 190.

6) Dissertat. inauguralis medica exhibens Tineae pathologiam. Bonn. 1829. p. 2.

stiolarum copia in hoc morbo verbum interpretans. *Batemanus,* quae huc pertinent eruptiones sub nomine „porrigo“ complectitur, *Celsi* [7]) interpretationem sequutus, qui ita de hoc morbo loquitur: „idque evenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco, huic quoque modo malo odore, modo nullo accedente.“ *Lorryus* autem „porrigo, inquit, Graecis *πιτυρίασις*“, sicuti etiam iam sexto saeculo *Alexander Trallianus* [8]) vocabulum „porrigo“ ad solam capitis furfurationem restrinxit.

Quot autem sunt, qui de tinea sive porrigine scripsere, tot sunt variae morbi definitiones. *Celsus* [9]) ita definit: „Porrigo autem est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt, eaeque acute resolvuntur et interdum madent, multo saepius siccae sunt: idque evenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco, huic quoque modo malo odore, modo nullo accedente: fereque id in capitis pilo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio.“ —

I. P. Frankii [10]) definitio haec est: „in ulcusculis prurientibus serpentibus aut capitis aut faciei, humorem viscidum copiosum ac foetidum in coagulum fere melleum properantem, fundentibus, mox crusta friabili gummosa et molli, mox duro crassiori cinereo quasi cortice obductis consistit.“ — *Rayer* [11]) notionem tineae magis restringit eamque sub nomine „Favi“ inprimis signatam esse ait, crustis lucide flavis, siccis, fixe adstrictis, rotundis cum depressione centrali (en godet), dispersis vel conglomeratis, margine elevato et reiecto. —

---

7) De medicina Lib. VI. Cap. 3.
8) *Βιβλία δυωκαιδεκα* I. litt. S. p. 4 Lutet. 1548.
9) l. l. lib. VI. cap. 3.
10) J. P. Frank De cur. homin. morb. IV. p. 190.
11) Traité des maladies de la peau par P. Rayer. Troisième édition. Bruxelles 1836. p. 212.

Batemani [12]) definitio haeccc: Porrigo est malum contagiosum, quod dignoscitur eruptione pustularum (achoribus et favis) in crustas flavas vel subfuscas confluentium, quaque vitae aetate, saepius autem ante pubertatem proveniens et cum febre non coniunctum. —

Cazenave et *Schedel* [13]) porriginem recensent ad pustulas eamque definiunt tanquam eruptionem contagiosam pustularum psydraciarum, quae in capillitio indigenae etiam supra totum corpus extendi possint.

Longum est, plures enumerare definitiones. Sufficiant. Nobis enim has omnes, tam similes inter se et tam diversas comparantibus, omnes sine exceptione nimis latae et ne aegritudinem quidem, ut nihil dicam de morbo, satis designare videntur. — Ut vero ipsi et aegritudinem et morbum clare ac distincte animo perspiciamus atque accuratiorem hisce melioremque Aesculapio favente proponere conemur definitionem: necesse est, ut, quaecunque sint caute et sincere de morbo nostro a celeberrimis cutis pathologis observata (omissis, quantum fieri potest, scriptorum opinionibus) colligamus, collecta vero cum observatis nostris quae quam pauca sint et manca et pro initiis tantummodo habenda, bene intelligimus — probe ac diligenter conferamus atque comparemus.

---

12) Bateman Synopsis der Hautkrankheiten nach dem System etc. 1830. p. 190.

13) Abrégé pratique des maladies de la peau etc. par M. M. Alphée Cazenave et H. E. Schedel. Seconde édition. Bruxelles 1834. p. 105.

PARS PRIMA.

Scriptorum de tinea observationes.

Duplici modo scriptores pathologiam tineae tractant: *Sauvagesius*, *Willanius*, *Batemanus*, *Alibertus* alii diviserunt porriginem in species, *Batemanus* sex, *Alibertus* quinque, *Rayerus*, *Cazenave* et *Schedel* duas esse existimarunt.

Lorry vero *B. Bell*, *P. Frank*, *Murray* tantummodo gradus eiusdem morbi distinxerunt eosque summa cum doctrina descripsit *Meyerus* dissertatione saepius laudata.

Nomina sequamur, quibus *Willan* et *Bateman* usi sunt, synonymis aliorum, ubi necessarium videtur, additis. — Sub nomine porriginis generali *Batemanus* porriginem larvalem quoque atque favosam una serie cum furfuracea, lupinosa atque scutulata describit. *Cazenave* et *Schedel* porriginem larvalem et favosam prorsus a grege tinearum secernunt eamque ad impetiginem recensent, illam sub nomine inpetiginis larvalis, de hac autem: „le porrigo favosa de *Willan* n'est, q'un impetigo figurata.“ [1]) *Rayer* crustam lacteam eczemati impetiginoidi, favum autem *Batemani* impetigini sparsae adscribit. *Plumbeius* tandem, qui tam egregie his de morbis scripsit, porriginem larvalem et favosam a ceteris porriginis speciebus tanquam eruptionum genus e causa interna diversum, prorsus secernit.

Iam vero videamus quaenam sint symptomata huius morbi tam ambigui a scriptoribus notata.

---

1) l. l. p. 92.

Porrigo larvalis.

Sedes saepius in facie, inprimis in fronte, rarius et tantum secundarie in capillitio (*Willan*). Eam in capillitio primarie post pityriasin capitis praegressam exoriri *Plumbeius* [1]) negat. — In cute primum pustulae parvae cum puncto albido vesiculis interdum intermixtae; post aliquot dies autem ruptae fluidum evacuant viscidum, clarum, in crustas tenues, flavas properans. [2]) Pruritus. Eruptio saepissime in infantibus, inprimis mammas sugentibus (crusta lactea). Semper benigna (cf. nomen „Tineae benignae“). „Je n'en résulte jamais de cicatrices et si l'on a observé quelques fois, elles étaient évidemment le résultat d'une altération plus profonde determinée par l'action des ongles des enfants.“ [3]) Nunquam cum morbo graviore constitutionali coniuncta saepissime vero saluberrimus est corporis infantilis fonticulus, quam ob rem *Plumbeius* porriginem larvalem ad propriam eruptionum classem cum nonnullis aliis constituit atque collegit.

Porrigo favosa. [1])

Sedes in capillitio (saepius ad occiput), in facie (ad angula oris vel mentum), in extremitatibus (raro). Pustulae magnae, molles, aliquid depressae, margine rotunda, basi rubente, in ceteris corporis partibus confertae, inter capillos

---

1) Praktische Abhandlung über die Hautkrankheiten, von Samuel Plumbe. Weimar 1825 p. 139.

2) Cf. Lorry l. l. p 80 sq. qui crustas ex acidificatione muci derivat, idque experimentis demonstrat.

3) Cazenave et Schedel l. l. p. 91.

1) Nomine porriginis favosae tantummodo Batemanus et Plumbeius pro hoc morbo utuntur; caeteri porrigine favosa lupinosam Batemani intelligunt.

sparsae, „traversées dans leur centre par les cheveux.“ [2]) Ex pustulis crustae oriuntur crassiores, quam in porrigine larvali, maiorisque circuitus, capillos conglutinantes, fuscae, sub quibus postea superficies epidermide nudata, paululum exulcerata magnam fluidi lucidi, viscidi copiam secernit, foetorem insignem saepius exhalans. — Capilli non labuntur: „L'impetigo du cuir chevelu n'altère jamais le bulbe des cheveux.“ [3]) *Cazenave* et *Schedel* autem interdum morbo inveterato pilos labi contendunt, bulbos vero non destructos, sed inflammatos esse. [4]) Maxime dolendum eos bulbum inflammatum non descripsisse. —

Etiam *Plumbeius* [5]) affirmat exulcerationem porriginis favosae non penetrare ad bulbos usque pilorum. — *Lorry* [6]) „lactumen Manardi“ ab achoribus eo esse diversum dicit, quia achores profundiorem sedem habere, lactumen autem magis superficiem cutis aggredi et in cute externa sedem habere videatur. —

Eruptio saepius in infantibus, interdum in adultis semper benigna, cf. *Plumbe* et *Alibert* [7]), qui multa et uberrima hac de re facit verba.

---

2) Rayer l. l. p. 206.

3) Rayer l. l. p. 207.

4) Cazenave et Schedel p. 92. Lorsque la maladie dure depuis longtemps, — les cheveux tombent quelquefois dans une étendue plus ou moins grande; mais cette alopécie bien différente de celle, qui suit constamment le porrigo favosa et scutulata, n'est qu'accidentelle et momentane: les bulbes ne sont point détruites, mais inflammées; aussi les cheveux ne tardent-ils pas à repousser et avec tous les caractères, que présentent ceux, qui recouvrent les surfaces, qui n'ont point été le siège de l'éruption.

5) l. l. p. 132.

6) l. l. p. 87.

7) Baron Alibert's Vorlesungen über die Krankheiten der Haut,

Est igitur inter porriginem larvalem et favosam duplex tantum discrimen : 1. In porrigine favosa pustulae maiores, in larvali minores saepius cum vesiculis. 2) Porrigo favosa saepius in capillitio, larvalis saepius in facie.

Eo graviora vero sunt symptomata, quae inter illum morbum utrumque, ab Ill. *Nasse* sub nomine Favi collectum et tineam veram intersunt. Quod quidem ut accurate demonstremus, iam restat, ut tineae ipsius, quas proposuerunt, species, paulo uberius perlustremus, perlustratas autem ad ordinem quendam reducamus. Primo vero intuitu duo distinguuntur specierum genera: Est enim tinea aut in cute pallida albida, frigida, cum secretione et sensilitate minutis nec non desquamatione, aut in cute livide rubescente cum pustulis et crustis, pruritu et dolore. Ad illam tinea decalvans s. tonsoria et furfuracea, ad hanc granulata, scutulata et lupinosa pertinent. Secundum hunc ordinem observata scriptorum colligamus.

Ordo tineae I.

Cutis pallida, albida, sicca, frigida; in specie altera cum squamis, interdum cum aliquo rubore, pruritu.

Tinea decalvans
s. tonsoria (Aliberti).

Cazenave et *Schedel* [1]) hanc speciem non agnoscunt eamque non nisi aliarum reliquias habent. Neque *Plumbeius* [2])

---

gesammelt und herausgegeben v. M. Daynac in Paris. Deutsch v. Dr. Max Bloest. Leipz. 1837. p. 340.

1) l. l. p. 105. „Elle ne doit pas être considérée comme une affection distincte; elle est souvent le résultat de diverses espèces.“

2) l. l. p. 34. Schlussbemerkungen p. 311.

scripto egregio eam tanquam speciem porrigini adiungit, totum hunc ordinem omittens et alterum tantum tanquam solam tineae formam describens. Primus eam observavit *Willan*, saepissime Fratres *Mahon* [3]), qui eam „teigne tondente“ appellant, *Alibert* et *Rayer* rarius (comme une variété de l'alopécie) [4]). — *Celsus* hoc malum sub nomine „Areae“ describit eamque in duas species dividit: alopeciam, ubi maculae irregulares et ophiasin, ubi maculae curvatae sunt serpentum instar. —

Symptomata tineae decalvantis haec sunt (secundum *Willan* et *Rayer*): Maculae rotundae capillis denudatae, superficies cutis laevis, splendida, alba et sicca. Pili ante lapsum tenuiores fiunt (ut *Celsus* commemorat); circumdantes normales, satis densi. — Dilatantur maculae et pili semper maiore copia labuntur. Neque vesiculae, neque pustulae neque alia eruptio in cute observatur. [5]) Crines post longius temporis spatium in maculis illis recrescentes tenuiores sunt et lucidiores in hominibus iam supra mediam vitae aetatem profectis griseo colore. — Haec sunt, quae *Willan* de morbo refert. *Bateman* [6]) fortasse, ut systema servet, quia tineam ad pustulas recenset „verisimile“ inquit „sed minime constat, primo tempore eruptionem achorum (cf. infra) ad radices pilorum apparere, qui neque permanent neque fluidum affundunt.“ — *Rayer* [7]) affirmat se saepius hoc malum in adultis et infantibus observasse. — *Lorryus* [8]) casum enarrat, qui prorsus ad hanc tineae speciem pertinet: „Die von Haaren entblöste Haut war glatt und dünstete nicht aus, sie glänzte und war

---

3) Recherches sur le siège et la nature des teignes. parMahon etc.
4) l. l. p. 433.
5) l. l. p. 434.
6) l. l. p. 209.
7) l. l. p. 434.
8) l. l. p 390.

zart anzufühlen. Nach wenig Tagen aber war sie mit Schuppen bedeckt.“

Mahon malum describit, quamquam ei, de quo iam loquuti sumus, simillimum, paucis tamen symptomatis distinctum: Superficies cutis in maculis sicca, aspera, ut cutis anserina, subcoerulea, radendo obtegitur pulvere subtili, peralbo, farinae instar. Capilli autem unam vel duas lineas a cute decisi, vel potius derupti sunt. Observarunt malum in pluribus eiusdem familiae membris, interdum totum capillitium destruens. *Rayer* „cette variété“, inquit „est fort rare; je n'en ai observé, qu'un cas chez un enfant.“ —

Transit autem haec varietas iam ad alteram huius ordinis speciem, tineam furfuraceam. —

Tinea furfuracea.

Rayer [1]) eam sub titulo: „Pityriasis capitis,“ a qua eam distingui non posse censet, ad partem tantum neque satis accurate describit. *Cazenave* et *Schedel* ad pityriasin capitis et eczema chronicam eam recensent. *Plumbeius* autem morbum esse nil, nisi sequelam tineae scutulatae prorsus neglectae contendit. Accuratissime autem tineam furfuraceam *Alibertus* [2]) describit. Tria commemorat signa pathognomonica: squamas, pruritum, lapsum capillorum.

Sedes morbi in capillitio, ubi saepissime [3]) et in barba. Squamae exfoliatione epidermidis quasi necroticae semper repetita oriuntur. Saepius ad hanc desquamationem accedit secretio humida e cute epidermide nudata, crines et squamulas conglutinans, quae inde crassiores, crustisque similiores fiunt. [4])

---

1) l. l. p. 270.
2) l. l. p. 365.
3) Bateman l. l. p. 197.
4) Cf. Meyer dissert. l. p. 8.

Hanc ob causam *Plumbeius* [5]) tineam furfurantem compositionem pityriasis nominat et porriginis. Quae quidem secretio si longius per temporis spatium et maiore copia fluit, galea quasi albida caput obtegitur singulique pilorum fasciculi asbesto similes sunt, unde varietas *Aliberti:* „tinea amiantacea“ [6]) exorta. Cutis saepius livide rubet. Ubi vero sola adest desquamatio (tinea furfuracea sicca secundum *Alibert*), albida est „d'un blanc assez mat.“ [7]) Capilli, qui labuntur, tenues fiunt, molliores et colore lucidiore. [8]) *Alibertus* observavit casum, ubi alopecia totalis inde exorta erat. *Rayer* [9]) lapsum capillorum non ad signa morbi pathognomonica recenset, sed non satis distinguit a pityriasi. *Meyer* [10]) capillos ante lapsum duriores, rigidiores et nigriores fieri contendit. — *Bateman* originem tineae furfuraceae iterum ex eruptione achorum derivat, sed nullo gaudet comite.

Alibertus [11]) in tinea amiantacea pustulas complanatas in cute plus minusve inflammata sedentes commemorat easque exsiccari et evanescere, irritatione emollientibus remota, dicit.

Restat, ut quid intersit inter tineam furfuraceam et pityriasin capitis, paucis commemoremus verbis: Cutis aspectus fere idem: albida, frigida, squamae; in pityriasi autem haec symptomata magis pura atque mera, in tinea saepius rubor, secretio fluidi. Est porro tinea furfuracea multo malignior et pertinacior pityriasi. Capilli in tinea labuntur, in pityriasi

---

5) Plumbe l. l. p. 71.

6) Cf. Rayer l. l. p. 270.

7) Cf. Rayer l. l. p. 270.

8) Cf. Bateman l. l. p. 197.

9) Rayer l. l.: „Quant aux cheveux, leur chûte n'a lieu, que sur quelques points; l'alopécie n'est pas un caractère de cette maladie.“

10) l. l. p. 8.

11) l. l. p. 368.

nunquam. Hocce prae ceteris signum pathognomonicum tineae.

Ordo tineae II.

Transit ad hunc ordinem granulata (de qua infra p. 16.). E *Batemani* speciebus duae huc pertinent: scutulata et lupinosa. Sunt autem nil nisi varietates eiusdem morbi secundum gradum symptomatum distinctae. Quamobrem *Rayerus* eas sub nomine „Favi“ complectitur. *Plumbeius* vero tanquam formam tineae originalem scutulatam egregie descripsit.

Sedes mali in capillitio. *Rayerus* observavit favum tota parte trunci posteriore, usque ad crura et antibrachia. *Cazenave* et *Schedel* idem, quin etiam manus eo obtectas. *Alibertus* observationes duas commemorat, ubi totum corpus crustis favosis scatuit. — Crustas igitur tineosis analogas non modo in capillitio, verum etiam aliis cutis partibus observarunt (crustae autem non faciunt tineam). — Tanquam analogam tineae *Plumbeius* eruptionem ceterae cutis superficiei nominat: „Ringworm“ rubore maculato et exfoliatione in peripheria dignoscendam.

Primum, quod animadvertitur, symptoma est lapsus capillorum [1]. Capilli nullo tenore cuti inhaerentes facile extrahuntur, nonnulli defracti sunt [2]. Superficies cutis livide rubet et punctis paulum eminentibus vel papulis obtecta est, quae post aliquot dies pus continent [3]. Pustulae non prius observantur, quam puritu et irritatione aliquod per tempus adauctis [4]. Sunt autem hae pustulae peculiaris formae: parvae, lineam in diametra, rotundae, supra cutis superficiem

---

1) Cf. Cazenave et Schedel p. 102.

2) Plumbe l. l. p. 34.

3) Batemàn l. l. p. 202.

4) Plumbe l. l.

non eminentes, planae („aplaties"), cum impressione in medio, flavae, profundae („enfoncées dans la peau") pili trunco perforatae, circuitu cutis livide rubescente circumdatae. Pustulae guttalam solam fluidi subflavi, quod in earum cavo insiccatur [5]) (qui se desèche) continent. Idem commemorant *Cazenave* et *Schedel* [6]): „A peine se sont-elles développées (pustules), que déja le peu de matiére qu'elles renferment, se concrète." — Nominantur hae pustulae a *Batemano* [7]) „achores" eosque plurimi tanquam signum tineae pathognomonicum commemorant. In superficie cutis interna post mortem parvi tumores (renflements) observantur, substantia e flavo albida solida (crustis simili) impleti, satis profunde cutem et telam cellulosam subcutaneam penetrantes, in filum quasi exeuntes („ils se déterminent par une extrémité éfilée"), ex quorum centro saepius pilus surgit [8]).

Quo maior pilorum copia delabitur, eo minor est numerus achorum, pilis autem prorsus in loco capillitii affecto derasis, pustularum formatio finita est et cutis sana restat [9]). Observantur vero etiam pustulae, quibus capillus inhaeret, nullum signum morbosnm prae se ferens. Num etiam sint achores, an aliud postularum genus *Plumbeius* [10]) non satis docuit.

---

5) Rayer p. 212.

6) Cazenave et Schedel p. 107.

7) Cf. Lorry l. c. p. 75. Achores nominantur a Lorryo ulcuscula capillitii, ubi per foramina angusta materia fluida transsudat: „Ἄχωρ" appellatur secundum Trallianum, quia materia ἴχωρι similis est ἴχωρι παραπλήσιος. Achores a favis distinguit Trallianus, quia in his foramina maiora, in achoribus autem minora (*μικρὰς διατρήσεις ἔχων* (*πάθος*) Trallianus l. l. Lib. X. cap. 8.

8) Rayer p. 215. — Abbildung Tab. VII, 3, 4, 5.

9) Cf. Plumbe l. l. p. 36.

10) Plumbe p. 49.

Praeterea secundum hunc auctorem magnae interdum pustulae in capillitio tineoso secundariae prorsus ab achoribus diversae exsistunt: circa sedem mali primariam forma orbiculari extendi solent, conditione cutis valde inflammata, pruritu et irritatione permagna coniunctae [11]).

Capilli vero affecti, fragiles sunt, sicci, colorisque lucidioris et facile extrahuntur [12]). Quamquam saepius e pustulis surgunt, tamen non semper cum pili affectione achoris formatio coniuncta est: Crines labuntur, priusquam pustulae observantur, ab initio morbi [13]). Saepius etiam, ubi nullae pustulae animadvertuntur, labuntur cum bulbis non amplius coniunctae, ita, ut extremitates pilorum quasi defractae videantur [14]). — Pustulas autem etiam adesse posse sine lapsu capillorum iam supra commemoratum. *Plumbeius* contentis pustularum aliis cutis partibus applicatis, nunquam eruptionem pustulosam inde sequutam observavit, exceptis partibus, quae multis, tenuibus ac densis pilis erant obtectae.

Descriptionem bulbi et pili affecti, mera et sincera observatione nitentem frustra quaeres, nam quae adsunt, semper commixtas invenies cum opinione et hypothesi scriptorum. *Fr. Meyerus* dissertatione iam saepissime laudata disquisitionem anatomico-pathologicam bulborum ita proponit: „Quodsi talem in bulbo tumefactum pilum armatis oculis contemplatus fueris, animadvertes intumescentiam illius nullibi, nisi in processu ab epidermide descendente atque involucrum circum radicem formante sedem habere. Est enim hoc neutiquam, uti vult *Murrayus*, solo humore quodam in eo accumulato extensum, sed laxius, compage mollius et revera in-

---

11) Ibid. p. 54.

12) Cf. Bateman et Rayer.

13) Cf. Plumbe l. c. p. 34.

14) Cf. Plumbe l. c. p. 49.

crassatum. Nunquam ego quidem cavernulam ab hoc involucro effingi animadverti, multo ampliorem quidem, quam ipse pilus esset, ab eo cinctus. — Bulborum affectio non ultra imum, quo circumdantur, processum epidermoidalem descendit, intactis extremis radicum fibrillis („quae vasa esse videntur") [15]. Alio autem loco [16] duas distinguit formas, quas hypothesi acuta explicans non uberius describit, quam hisce: „Altero in casu extremum radicis tumido ac laxato involucro inclusum, atrum loco albi conspicitur, in altero bulbus e toto tabuit, non nigricat et ad stirpem est fragilior." Alteram deformationem e libro *Cazenave* et *Schedel* desumsisse videtur, locum vero citatum invenire nequeo. — Denique in malo iam inveterato crustaceo [17]: „Bulbi capillorum nullibi, nisi in locis his exulceratis atque crustosis tumidi sunt, in reliquis magis atrophici. Quod si evulseris hos capillos, vix in cute eos retineri nec amplius crescere invenies." — *Cazenave* et *Schedel* [18] dicunt, ubi pustulae exortae sint, ibi facile extrahi pilos cum bulbo, qui in corpore molli quasi insitus videatur: „Si on examine avec la loupe le cheveu ainsi arraché, on observe un gonflement, mais le renflement de sa base, par lequel il tient au derme, n'existe plus." — *Rayer* [19] et *Plumbeius* multas easque ingeniosissimas proponunt explicationes et ipsorum et aliorum de ortu pustularum crustarumque atque defluxu capillorum, sed accuratam descriptionem bulbi et pili ipsius frustra in pagellis librorum quaeres.

Locis crinibus denudatis pili raro recresscunt neque unquam copia atque vigore, quo ante morbum, sed semper speciem lanuginosam, albidam, parvam prae se ferentes [20].

---

15) Meyer diss. l. p. 15. §. 29.

16) Ibid. §. 31.

17) Ibid. p. 19. §. 34.

18) Cazenave et Schedel l. c. p. 107.

19) Rayer l. l p. 214. 215.

20) Cazenave et Schedel l. c. p. 108. Rayer l. c. p. 213.

Plumbeius [21]) contendit crines eadem copia in posterum renasci, qua priores caput obtegerint.

Eo accuratius autem atque uberius de crustis tineosis egerunt scriptores, quin etiam principium dividendi saepius ab iis quaerentes. — Crustae tantum observantur, ubi pustulae. In tinea squamosa, ubi pustulae nullae, squamae fluido saepius conglutinantur, sed nunquam crustae [22]). Secundum Thenard 100 partes continent:

70 Albumen
17 Gelatina
5 Calcaria phosphorica
8 Aqua et quae restant.

100.

Etiam in decursu morbi formentur pustulae necesse est, priusquam oriantur crustae [23]). Superficies cutis sub crustis inaequalis est, parvis impressionibus rubris, ubi corium saepius ad crassitudinem lineae dimidiae reductum. In unius cuiusque impressionis centro parvum observatur punctum rubrum saepius pili trunco perforatum (ubi antea pustula), et ad peripheriam impressionis circulus ruber respondens circuitui unius cuiusque crustae [24]). „Quodsi aliquam crustarum prorsus a cute distinguere moliare, margini potissimum firmiter concretam, in fundo autem vix adglutinatam esse eam invenies“ [25]). Cutis inter crustas livide rubet.

Crustis inveteratis vehemens provocatur exulceratio atque profunda, quin etiam pericranium et ossa exedens. Pruritus, dolor, magna pediculorum copia et foetor peculiaris

21) Plumbe l. c. p. 39.
22) Meyer diss. c. p. 20. §. 37.
23) Cazenave et Schedel l. c. p. 108.
24) Rayer l. c. p. 213.
25) Meyer diss. c. p. 21. §. 38.

urninae felium vel murium similis, post cataplasmata applicata magis rancidus atque cadaverosus, morbi perpetui sunt comites.

Tinea granulata.

Batemanus eam non tanquam speciem porriginis propriam memorat. *Rayer* [1]) eam ad impetiginem recenset et a tinea distinguit, quia pustulae impetiginis capillitii („tineae granulatae") fluentes, crustae fuscae vel griseae, mortario similes sint, quia non sit contagiosa neque bulbum pilorum afficiat. Sunt vero haec symptomata fere eadem, atque porriginis favosae (v. s.), a qua difficile eam distingui posse ipse confitetur. — *Cazenave* et *Schedel* [2]) *Biett* sequentes eundem ei definiunt locum. — Tanquam tineae gradum granulatam describit *Meyerus*, uberrime autem de ea *Alibertus* disserit sub genere porriginis squamosae.

Cutis rubet, interdum tumet. Hic et illic pustulae corio insitae, non supra cutis superficiem eminentes, aliae epidermidem tollentes, nodosae. Evacuant fluidum aut materiam puriformem, in crustas coeuntem. Crustae formae irregularis, subfuscae, saepius perdurae mortarii instar, friabiles, capillis suspensae („galons"). — *Alibertus* nil de lapsu capillorum memorat, quem vero uberius *Meyerus* [3]) describit.

Tinea scutulata.

Hanc speciem *Plumbeius* tanquam primariam mali formam proponit. *Rayer*: „favus en groupes, en écu, teigne

---

1) Rayer l. c. p. 207.

2) l. c. p. 93.

3) Diss. l. p. 10. §. 18.

nummulaire, annulaire"; *Cazenave* et *Schedel*[3]) „porriginem scutulatam" eam appellant. — Achores in locis margine rotundiformi circumscriptis, rubris ad peripheriam frequentiores. Obteguntur crustis, primum tenuibus, magis magisque accumulatis, linea circulari circumscripti. Novae pustulae circumferentia circuli apparent, interdum etiam novae maculae exoriuntur.

Tinea lupinosa.

Rayer: „Favus disséminé." *Cazenave* et *Schedel*, *Alibert:* „porrigo favosa." — Achores magis singulatim per capillitium dispersi. Crustae mox confluentes, cum impressione centrali, saepius totum capillitium obtegentes. *Plumbeius* hanc formam tantummodo ex morbo prorsus neglecto oriri dicit. Mali forma est atrocissima maxime perseverans. Exulceratio saepius sub crustis in profundum descendit. —

---

1) Cazenave et Schedel l. c. p. 105.: nomina et pustularum et specierum confundere videntur. „Batem. regarde le porrigo scutulata comme ayant pour lésions élémentaire des pustules achores. — M. Biett a été conduit à penser, qu'il était au contraire constitué par des favi, c'est à dire par des pustules analogues à celles qui forment le porrigo favosa." Negligunt enim porriginem favosam, quam ipsi nominant, nil esse nisi porriginem lupinosam Batemani, quam ob rem Batemanus minime a Biett discrepat, contendens pustulas lupinosae et scutulatae eiusdem esse rationis (achores); favos vero porrigini favosae esse proprios (quam Cazenave et Schedel ad impetigines recensent v. s.)

PARS ALTERA.

Observationes quaedam circa Tineae pathologiam et anatomiam pathologicam.

Ut tineae imaginem, cuius lineas extremas ex scriptis doctissimorum cutis pathologorum his collegimus pagellis, quantum possumus, et adaugeamus et perficiamus, quo facto rationem internam morbi tam occulti melius fortasse et accuratius intellecturi simus: paucae restant observationes inprimis de bulborum capillorum deformationibus earumque cum cutis affectione nexu, quibus, quantum desit ad hanc dissertatiunculam rite finiendam, bene sentimus. Nimirum prorsus desunt observationes accuratiores de tinea decalvante, quam ad hunc usque diem semel tantum oculis cernere mihi contigit. Desideratur porro, quod valde doleo, sectio capillitii tineosi. Plurimae, quas propositurus sum, observationum, in aegrotis tineosis scholae publicae pagi *Rheindorf*, Illustr. Prof. *Nasse* favente mihi in curam traditis, institutae sunt.

Tineam saepius observavi in infantibus, quam in adultis. Obvenit aut sine aut cum complicatione. Creberrima complicatio est: scrofula et rhachitis. Deinde eam vidi cum tuberculis, cum tumoribus lymphaticis colli (frequenter), saepissime autem cum eruptionibus ceterarum cutis partium: impetigine figurata, pustulis maioribus dispersis, ecthymati similibus, scabie; squamulis per totam cutem asperam. Nunquam vero symptomata verae tineae, qualia in capillitio, in ceteris regionibus cutis piliferis observavi.

Si quaeris tineosum: unde? semper fere aut ipse aut mater respondebit: ex contactu commilitonis vel fratris tineosi, saepissime *natu maioris* et simili tineae forma affecti. Inter-

dum omnes liberos eiusdem familiae tineosos vidi, interdum unum tantummodo affectum, aliis casibus omnes affectos, uno excepto. Scholam publicam frequentabant sani cum tineosis intermixti. Semel autem tantummodo audivi puerum, qui se iuxta tineosum sedentem ab illo infectum esse censebat.

Omnes, quas vidi, formas tineae verae unum semper symptoma comitabatur, aut laxitas aut lapsus capillorum, non per totum capillitium, sed saepius maculis plus minusve rotundis. Nunquam casum vidi, ubi totum capillitium destructum. Semper recrescunt capilli, quamvis annis intermissis. Omnibus vero formis comparatis, tres species restant: aut enim adsunt squamae, aut crustae, et intercedit complicatio squamarum et crustarum, quae, quo maior copia squamarum, ad illam, quo maior copia crustarum, ad hanc eo propinquius transit. Num una in alteram eodem capillitio mutari queat, accuratiores mihi desunt, quae demonstrare possint observationes.

Iam vero uniuscuiusque harum trium specierum symptomata uberius expositurus sum; praescribam nomen aegritudinis consuetum, ex faecibus quidem morbi sumtum, sed etiam faeces ipsae respondeant conditioni intimae mehercle necesse est. —

Tinea furfuracea.

Saepius observatur capillis flavis, vel lucide fuscis, semel nigre fuscis eam vidi. Rarior est ceteris formis. — Cutis ab initio morbi albida, sicca, frigidula, squamulis perparvis, pellucidis, tenuissimis in maculis magis minusve rotundis obiectis. Post aliquod tempus decursu morbi infra squamulas cutis livide rubescit, squamulae crassiores fiunt, secreto cutis fluido conglutinatae. Pruritus non magnus, decursu morbi accrescens. Squamis crustosis sive lavando sive pectine remotis, unde plurimi macularum crines labuntur, ita,

ut cutis nuda pateat, decursus morbi iam descriptus repetitur. Progreditur malum aut novis maculis exortis, aut earum circuitu adaucto, dilatato.

Crines maculis squamosis surgentes saepius lucidiore sunt colore et tenuiores caeteris, interdum subcrispi. Radix facillime extrahitur, nulla vi cuti inhaerens, tenuior normali, sicca, superficie aspera; bulbus non rotundus, saepius angularis, siccus, interdum ut squamula apici acuminatae radicis leviter adhaerens; saepissime in cute remanet, ita ut radix in apicem tantummodo deflecti videatur. — Pili in squamis crustosis decursu morbi exortis, a crinibus iam descriptis non diversae.

Observatio prima. Bernhardus Obladen Rheindorfiensis septem annos natus sanis parentibus duos habet fratres et sororem unam, natu paulo maiores, qui etiam tinea laborant (illi tinea granulata, haec tinea furfuracea). Frater tertius iam quatuordecim annos natus, sanus, anno aetatis septimo simili tineae forma affectus erat, qua iam Bernhardus, ut ait ex usu tegumenti capitis commilitonis tineosi; per quatuor annos morbo laboravit, magnam capillitii partem perdidit, deinde autem restitutus iam plenis gaudet capillis, hic et illic tantum aliquid rarioribus. Bernhardus et alii consanguinei cum fratre saepius eodem concubuerunt lecto.

Capilli nigre fusci. In parte frontali capillitii et ad verticem maculae pollicem ad duos in diametra, ubi crines lucidiores, e flavo albicantes, tenuiores tactu. Cutis superficies ibi squamis albis, accumulatis, satis fixe inhaerentibus, crassioribus (crustosis), ad peripheriam squamis minoribus, tenuioribus, quae levius inhaerebant et pellucidiores erant, obtecta. Sub squamis cutis aliquid rubet, humescit, ad peripheriam albida, sicca. — Dolor nullus, interdum pruritus.

Capilli normali cuti fixe inhaerentes difficile radicitus evelluntur. Radix et bulbus normalis (Fig. I, 1.) mollis, nigricans, paulum crassior trunco, subovalis. — Crines in squa-

mis minima vi extrahuntur. Radix sicca, fragilis, superficie aspera, in apicem versus tenuior fit. Bulbus siccus forma rotunda caret, interdum fissus in duas extremitates (Fig. I, 2. a.), interdum quasi squamula pellucida cum puncto aliquid nigrescenti apici radicis tam leviter inhaeret, ut spiritus observantis eum dispergat (Fig. I, 2. b.). Saepius radix in apicem pertenuem exit, bulbi vero ne vestigium quidem cernitur (ut videtur, quia prorsus a radice separatus in cute remanet (Fig. I. 2. c.).

Ad occiput extra maculam squamosam locus erat unguium vestigia prae se ferens, rubens, cum tumore albide flavo acuminato, lineas duas in diametra, e quo tres ad quatuor pili surgebant. Pili fixe cuti adstricti volsella evulsi speciem radicis normalis prae se ferebant (Fig. I, 3. cf. cum I, 1.).

Capillitio excepto puer sanus erat, bene vigebat, nullum scrofulae signum praebebat.

Tinea granulata.

Frequentissima. Amat crines lucidiores, tenuiores, molles. Superficies cutis ab initio morbi livide rubet, squamulis permultis, parvis, leviter inhaerentibus, sicuti in tinea furfuracea, obsita. Simul vero adsunt loci ruboris laetioris, qui, si accuratius inquiris ad basin uniuscuiusque pili concentratus, eam circulo quasi cingit. Detracto pilo ex hoc circulo rubro microscopio simplici fossiculas perparvas animadvertis, materia flava, puriformi, fluida impletas, quae, ut guttula radicem pili sequitur. Mox hi loci obteguntur crustis subflavis, quae cum squamis permixtae albidae, durae et friabiles redduntur, partim parvis morsulis a cute dissolutae in trunco pili pendent, mortarii revera instar, partim fixe cuti adstrictae inhaerent. His remotis ulcusculum profundum parum humescens cernitur, fundo angustiore. ex quo radix pili surgit. Morbo

inveterato crustae interdum maiorem capillitii partem obtegunt, nunquam vero uno tenore, sed diffractae semper frustulis duris, siccis. Infra has crustas observatur etiam laesio epidermidis, maiore circuitu, sed raro, neque unquam secretio valde larga.

Pruritus. Dolor interdum. Quo maior squamarum copia, quo minor cutis rubor, eo similior granulata furfuraceae.

Capilli locis affectis saepius lucidiores sunt caeteris, facile radicibus extrahuntur. — Tres sunt radicis deformatae rationes cum hac affectione cutis observatae:

1. Radix tenuior normali, bulbus minor, rotundus, radix et bulbus molles. Squamae.

2. *a.* Radix et bulbus tument, molliores normali, radix parte superiore materia subflava, tenaci puriformi, sacculi instar cincta; parte inferiore cum bulbo saepius vagina pellucida non tam lata circumdata. *b.* Bulbus non rotundus, diffluit quasi ita, ut ad basin apertus videatur. Rubor maior. Pustulae.

3. Radix et bulbus sicci, superficie aspera, aliquid crassiores trunco pili. Crustae inveteratae exsiccatae.

Observatio altera. Ludovicus Hagel, Bonnensis, sex annos natus infans erat sanus, bene vigebat, bonum prae se ferebat aspectum, nullo morbo laborabat. Annos tres natus cum sodali tineoso per diem conveniens, tegumentum capitis cum eo commutabat, et inde ab eo tempore, ut refert, tineam capitis acquisivit. Iam eius valetudo in peius ruere coepit. Corpus emaciatum, pallor facici, anno praegresso symptomata imminentis Nomae. Nunc vero tussis cum sputis et angustia pectoris, vehementissima per noctem, percussio regionis clavicularis dextrae fuscior, bronchophonia ibidem maior, sudores nocturni. —

Capilli lucide flavi, pertenues, molles, rari. In sincipite plures loci crinibus denudati. Cutis superficies in margine capillitii et ad occiput normalis; caetera rubet, squamulis par-

vis, pellucidis obsita. In latere sincipitis dextro et ad occiput plures loci circumscripti ad pollicem et supra in diametra, ubi crustae subflavae, perdurae, diffractae cutem obtegunt. Sub iis cutis rubra plane excavata humescit. Per totum capillitium hic et illic crustae parvae lineam ad duas in diametra, perdurae partim maculae cutis rubra profunde depressae inhaerent, partim in trunco pili agglutinatae pendent.

Pili cuti normali fixe inhaerentes. (Fig. II, 1.) In squamis facillime extrahuntur. Radix tenuior normali, in apicem protracta, bulbus minor normali, rotundus, mollis. (Fig. II, 2.) Ubi cutis squamosa rubrior, radix et bulbus aliquid crassiores, tenuiores tamen normali. (Fig. II, 3. Ad basin trunci adhaeret squamula).

In cute rubriore, praecipue ad peripheriam crustarum, pili extrahuntur e circulo etiam rubriore, quorum radix prorsus a descriptis differt: Crassior enim est normali, mollior, vitro obiectivo adhaerescit, pellucidior est trunco, bulbus aliquid nigrescit, rotundus. Duo distinguuntur radicis involucra: *a*) Parte superiore dimidium fere totius radicis materia subflava, tenaci circumdatur, sacciformi, per quam radix ipsa tumefacta pellucet. *b*) Parte inferiore usque ad basin bulbi, bulbum vero non totum vestiens, vagina tenuis, pellucida observatur, quae interdum per involucrum superius surgens cernitur. [1]) (Fig. II, 4, a.). Locum, quo pilus extractus erat, microscopio simplici inquirens, fossiculam perparvam inveni, qua compressa guttula fluidi flavi puriformis interdum emergere videbatur. Saepius haec fossicula statim cernebatur, epidermide non clausa, (quae tanquam tectum involucri illius

---

1) Observatio radicum microscopica difficillima erat, quia pili tam tenues et nunquam mihi contigit, granulatam pilis crassioribus (ut lupinosam) cernere. Est vero eadem deformatio, atque in lupinosa invenitur. Quamobrem cf., quae infra proposui.

decerpta videbatur); interdum vero non apparebat nisi epidermide acu, eo loco, quo pilus surrexerat, remota. — In crustis eadem radicis forma; saepius bulbus ad basin solutus quasi et diffluens, ita ut formam rotundam perdiderit. (II, 4, b.)

Morbo longius per tempus sibi commisso, crustae magis magisque supra capillitium extensae crassiores fiebant et duriores. Tunc in iis pilos inveni, quorum radices crassiores quidem sub II, 4, 2 delineatis, sed multo tenuiores, quam quas modo descripsi, siccae, asperae, in apicem tenuem exeuntes, cui bulbus formae irregularis squamulae instar pellucidae cum puncto nigrescente [2]) inhaeret. Observatur etiam sacculus ille ad partem radicis superiorem, sed siccus est et scaber. (Fig. II, 5.)

Crustis et squamis remotis restat superficies cutis livide rubra, statim squamulis novis obsita. Nunquam deformationem radicis sub II, 4, delineatam non inveni.

Tinea lupinosa.

Saepius eam observavi in adultis, quam formas iam descriptas et crinibus nigrioribus. — Superficies cutis livide profunde rubra, splendet, turget, calet. Dolor urens, pruritus.

Quibusdam locis, interdum per totum capillitium (partibus temporalibus et margine nuchae frequentissime exceptis) basin unius cuiusque pili circulus ruber aliquid eminens valli instar circumdat, ita ut pili truncus media vallicula surgat. Semper simul tales valliculae — quae nunquam supra lineam in diametra — coloris flavi observantur. Media excrescit pilus, interdum non cute emergit, sed infra epidermidem latet,

---

2) Puncta haec nigrescentia umbra et lumine clariore exorta videntur, quia bulbus ipse tam irregularis est formae

nigre translucens. Pilum extractum saepius guttula materiae subfluidae, flavae, puriformis sequitur, iamque cavum cernitur, quod ea epidermidis parte, quae antea valliculam illam formavit, tegitur, cuius parietes vero in profundum convergunt, ita ut in foramen angustum exeat. Nonnunquam mihi contigit apicem pili crassioris huic foramini, quod sine microscopio simplici vix distinguere licet, immittere eiusque altitudinem eandem circa atque radicis pili extracti inveni.

Hi „achores" in decursu morbi crustis obteguntur impressione centrali eorum formam imitantibus. Primum sunt parvae, tenues, flavae, mox vero et latiores et crassiores redduntur. Sub crustis recentioribus ulcus infundibuliforme latet, initio profundius, postea eo planius, quo maiore circuitu margines extenduntur. In profundo infundibuli interdum adhuc pili radix haeret, nisi iam antea, quod saepius, cum crustis remota sit. Decursu morbi ulcera sub crustis latentia formam primariam peculiarem perdunt, plures confluunt, et denique nil vides, nisi fossam concavam, fluidum viscidum, limpidum secernentem, papillis obsitam, quarum ex apice inprimis fluidum illud emergere videtur, rubram, crustis semper crassioribus obtectam.

Capilli laxi, parva vi extrahuntur, fragiles, multique inveniuntur iam defracti, interdum eos nigriores sanis vidi. Pilorum deformatio est triplex:

1. Radix tumet, mollior normali, lucidior, vagina pellucida a basi bulbi (quam non includit) aut usque ad transitum bulbi in radicem, aut usque ad exitum radicis ex epidermide vestita. Rubor.

2. Radix item formata in parte superiore usque ad dimidium et supra involucro crassiore cincta. Achores. Crustae recentes.

3. Radix et bulbus sicci, superficie scabra, bulbus non rotundus. Crustae inveteratae, exsiccatae.

Saepius vidi atrox hoc malum, quod non solum aspectu

ingentique pediculorum copia [1]), sed foetore etiam specifico fastidioso deterret observatorem, et munditia et remediis in cutis conditionem agentibus summa cum diligentia curatum; sed quamvis crustae remotae, ulcera sanata, et cutis conditio in universum melior esset reddita, semper tamen valliculae illae rubrae ad basin pilorum restantium, achores et inde crustae cum sequelis iterum apparebant. Nunquam ruborem solum, semper simul achores observavi, fortasse, quia non satis ab initio morbum exploravi; nullo vero casu squamas sive initio sive decursu huius speciei, neque unquam deformationem pili p. 22. descriptam et Fig. II, 2. delineatam inveni.

Observatio tertia. Petrus Felder e pago Wal prope Siegburg unde viginti annos natus, patrem et matrem iam ante annos perdidit. Parentes capillitii morbo non erant affecti. Soror viginti quatuor annos nata iam a primis aetatis annis simili capillitii affectione laborabat, qua Petrus. Post febrem intermittentem meliorem eam redditam esse refert. A primis vitae diebus crustis capillitii et lapsu capillorum laborabat. Undecim annos natus lassitudinem corporis cum stupore capitis per mensem fere passus est. Ante decem annos invito urina defluere coepit, ante sex incontinentia faecium, quae adhuc perstant. — Ante quinque fere annos eruptio vesicularum prurientium — id quod calore adaugebatur — per totum corpus tempore praecipue hiberno. Hoc vere facies squamulis parvis per tres hebdomades obtecta erat.

Capilli nigre fusci, rari; ubi crustae, rarissimi. Partibus capillitii temporalibus et nucha densi adhuc in cute normali. Radix inde difficile extracta mollis, bulbus rotundus ad basin nigrescens. (Fig. III, 1.)

---

1) Pediculi eiusdem sunt formae, atque pediculi capitis sani, crassiores saepe et pinguiores. Ad morbum ipsum non pertinent, nam ubi munditia diligenter curatur, non observantur.

In parte frontali capillitii capilli rari facillime extrahuntur, facile franguntur, multi breviores ceteris vix aliquot lineas supra cutem eminent. Eorum extremitas superior non laevis, ut in descisis, sed aspera atque dentata: defracta (cf. Fig. III, 2.) Basis valliculae aut rubescenti, aut albide flavae, vallo rubro circumdatae insita est. (Fig. III, A.):

1. Radix e vallicula rubra extracta tumet, nec non bulbus, mollior est normali, ita ut inhaereat vitro obiectivo, et pellucidior trunco pili. Observatur praeterea vagina pellucida, tenuis, radicem cingens, incipit a parte superiore bulbi, basin eius excludens et ascendit aut usque ad transitum bulbi in radicem (Fig. III, 2, a), aut usque ad transitum radicis in truncum (Fig. III, 2, b.).

2. Radix e vallicula flava (achore) extracta etiam magis tumet. Bulbus aut subrotundus nigrescens aut ad basin diffluens quasi et apertus formam rotundam perdidit (Fig. III, 3. e). Vagina eadem a bulbo incipit, basin eius excludens, aut ad transitum bulbi in radicem (Fig. III, 3, a), aut usque ad transitum radicis in truncum ascendit, raro etiam altius (III, 3, b.). — Pars superior radicis cum vagina involucro crassiore, subflavo [1]) circumdatur, quod usque ad dimidium radicis et supra descendit. Extremitas involucri superior aut crassa est atque plana ambitum valliculae III, 3, c, d, e, f. aequans, aut sensim pili trunco adaptatur (Fig. III, 3, a, b.). Si plana est et lata, frusta epidermidis tegitur et cavum achoris apertum cernitur (tecto demto), sin sensim tenuior fit, achor non apertus cernitur, sed antea acu aperiatur necesse est. — Parietes cavi achoris rotundi, guttula materiae puriformis impleti, convergunt atque in foramen angustum exeunt.

Interdum duo pili connati quasi eadem vallicula surgebant. Gemellus non tam alte descendebat, quam alter, eius

---

1) Spiritu vini rectificatissimo hoc involucrum non solvitur.

involucro non inclusus, cuius tectum tantummodo perforabat. Vaginam gemelli interdum observavi, sed non semper (Fig. III, 3, e.).

Crustae ad occiput et in vertice plurimae, subrotundae, impressae, fusce flavae, durae, fixe cuti inhaerentes. Crusta parva caliciformi remota cutis perrubra patebat infundibuli plani instar excavata, fluidum viscidum secernens. Sub crustis maioribus cutis epidermide denudata paulum tantummodo est concava, humescit. — Pili in crustis recentioribus eandem deformationem, atque III, 3. delineatam praebent, saepius bulbus diffluit, ut III, 3, f. — Radix e crustis inveteratis siccis detracta sicca erat, crassior normali, fragilis, parte superiore crassior, quam inferiore, saepius cum fibrillis e parte superiore oblique ascendentibus, bulbus vero irregularis formae, angularis interdum in duas extremitates fissus. Ubi radix in bulbum transit, tenuior est. (Fig. III, 4.).

Variantes. Impressio illa rubra, et achores optime crinibus crassioribus et nigris cernuntur; crinibus vero tenuibus interdum impressionem ad basin pili reperire non potui, quam tantum circulus ruber cingebat. Tunc etiam pilo extracto, ut cavum achoris perparvum animadvertatur, primum epidermis, tectum formans, acu removeatur necesse est. Involucrum autem radicis sensim pili trunco adaptatur.

Obveniunt praeterea tumores hac tineae specie lineam vix in diametra paulum eminentes, albidi, acuminati. Acu apertis paululum materiae non fluidae, mollis, albidae (sebae similis) evacuare licet iamque cavum cernitur aliquid profundum, in cuius fundo foramen perparvum microscopio simplici observatur. Fig. III. B, a. tumor talis albidus; III, B. b. apertus cum foramine in fundo.

Denique inveniuntur etiam tumores maioris ambitus, lineas duas et supra in diametra, pilo non semper, hic illic pluribus perforati, flavi, acuminati, molles, quibus apertis materia fluida puriformis flava evacuatur, nullum vero cavum

restat, epidermide collapsa. Fig. III, c. Obveniunt etiam pustulae lineas tres ad sex in diametra supra cutis superficiem non eminentes, subrotundae, pluribus pilis perforatae, saepius normalibus, interdum etiam uno alterove degenerato. (Fig. III. B, d.)

Tineam scutulatam

qualis a scriptoribus describitur, semel tantummodo vidi: achores magis in orbiculis conferti, crustae magis rotundae. Caeterum vero nullum aliud observavi symptoma atque in lupinosa. Primus lupinosae decursus semper simillimus est scutulatae, et fortasse, si faecibus remotis, morbo altiorem gradum ascendere non permittitur, scutulata permanet.

PARS TERTIA.

De diagnosi tineae.

Liceat hanc partem ultimam dissertationis nostrae paulo celerius ac brevius, partibus praegressis absolvere, primum, quia ad diagnosin firme stabiliendam multa adhuc restant nondum explorata [1], deinde, quia quisque ipsum morbum obser-

---

1) Dolendum, quod radix non cum cutis organis coniuncta disquiri licebat, sed evulsa tantummodo, unde et situs et forma destructionis mutaretur necesse erat.

vationibus symptomatum accuratis et sinceris collectis facile cognoscere poterit. Hanc ob causam pauca tantum, quae viam diagnosis in posterum fortasse finiendae demonstrent, addere mihi proposui, in extremis vero literis in praxin, quae contuli, transferre paucis conabor.

Tinea est complicatio morbi radicum capillorum cum morbo cutis capillitii ex ipsa complicatione chronico. — Num morbus radicum, an morbus cutis sit primarius, nondum satis constat; est enim radix tam arcte cum chorio, epidermide et organis epidermide formatis, praecipue sacculis sebaceis, coniuncta, ut vix aegrotare possit cute ipsa non comite; ubi bulbum aegrotantem vidi, semper cutis ipsa erat affecta. — Verisimile autem, morbum radicum esse primarium, quia ab initio morbi aegrotant, quia pilis remotis cutis facile sanatur (cf. s. observationes Plumbei), quia specie tineae tertia (v. i.) exsudatum ex bulbo incipit. Radices vero decursu morbi multa provocare morbi symptomata, irritationem, purulentationem, achorum formationem, exulcerationem, observationes docent, sicuti omnes medici eo conveniunt, ad tineam sanandam radices removeantur necesse esse.

Analogon tineae est sycosis menti, ibi enim radices pilorum barbae aegrotant et sacculi sebacei.

Distinguitur tinea his duobus morbis coniunctis a caeteris capillitii affectionibus: Aut enim cutis, aut capilli solummodo aegrotant. — Porriginem favosam coniunxere cum tinea, sed prorsus diversus est morbus: nunquam radices capillorum afficiuntur, neque unquam achores formantur, nam hoc pustularum genus sequela tantum est radicis affectae. Eodem modo distinguitur pityriasis capitis, ubi etiam irritatio deest, quae in tinea furfuracea ex capillis demortuis oritur (v. s.). — Sunt vero etiam morbi capillorum, ubi cutis sana: ut canities, calvities, alii.

Num tinea sit contagiosa, quaestio est, quam nondum solvere possim. Scriptores res in facto positas de contagio

vix afferunt, contendentes brevibus, esse morbum contagiosum. Accuratiores hac de re mihi desunt observationes; inserere morbum non conatus sum. Omnibus vero comparatis (v. s.), multo veri similius videtur, tineae contagium proprium non esse.

Quatuor sunt, quos in tinea observavi, morbi radicum capillorum:

Tabes sicca, tabes humida (semper cum sequente eodem capillitio); tumor cum mollitie; tabes sicca ex tumore et mollitie praegressis. —

Tumescentia mollis coniuncta est cum exsudatis. Sedes exsudati tantum ex anatomia pilorum et cutis, ipsa nondum satis firma, explicari potest. Vagina illa, quae radicem ipsam cingit (cf. s.) exsudata videtur in folliculo pili i. e. productione epidermidis, quae cum radice descendit, basin vero bulbi, secundum ea, quae equidem vidi (cf. s.), non vestit, sed supra eam in tela cellulosa nude radicantem, ad truncum pili ipsius ascendit. Incipere exsudatum fundo vaginae, observatione Fig. III. 2. a. delineata demonstratur. Ascendit usque ad transitum radicis in truncum. — Alterum exsudatum, quod involucri instar partem radicis superiorem cingit, satis explicare nequeo. Si folliculus pili in sacculum sebaceum transit, truncus pili autem per cavum eius ascendit, verisimile hoc involucrum secreto morboso sacculi sebacei constat. Materia adiposa non est, nam spiritu vini non diluitur. Vagina aut infra involucrum solummodo cernitur aut per involucrum circa radicem ascendit. Ad morbum radicis non tam arcte pertinere videtur, nam adsunt radices tumescentes cum vagina sine involucro. Num sequela maioris gradus deformatae radicis sit, nescio. — Mollities et tumor radici ipsi proprii. Gradus minor maiorve. Mollitie maxima dissolvitur bulbus. — Omnia ad hunc radicis morbum pertinentia reduci videntur ad inflammationem primariam bulbi, — id quod cutis symptomatis analogis (v. i.) etiam confirmatur. —

His radicibus et tumescentibus et mollioribus norma exsiccatis oritur quarta deformatio cum vestigiis exsudatorum, tabes sicca ex tumore.

Cutis capillitii tineosi quatuor distinguuntur conditiones:

1. *Atonia mera:* cutis frigida, sicca, alba, aut sine, aut cum squamis perparvis, pulvere subtili similibus. (v. s. parte I. descriptionem tineae decalvantis).

2. *Atonia cum irritatione:* Irritant faeces morbi. Accedit secretio fluidi. — Squamae sunt sequelae secretionis perversae epidermidis. Aegrotet igitur necesse est, „appareil blennogène" Breschetii. 2)

3. *Atonia cum inflammatione* et sequente purulentatione. Est complicatio atoniae cum morbo sequente.

4. *Inflammatio, purulentatio et exulceratio.* Pustularum sunt duae species quae in tinea observantur: *a.* Suppuratio circa involucrum illud radicis, usque ad bulbum descendens: Achor. Proprius est huic tineae speciei (v. i.). Hanc ad speciem quoque pertinent tumores illi perparvi albidi acuminati (v. s. Fig. III. B, a, b.). Nam in foramine illo fundi tumoris aperti sine dubio latet bulbus capilli a trunco separatus. Contentum tumoris materiae sebaceae simillimum erat; disquisitionem chemicam non institui. — *b.* Purulentatio sub epidermide superficialis, epidermidem aut elevans, aut ab ea retenta (cf. Fig. III. B, c, d.). Signum pathognomonicum tineae hae pustulae *non* sunt: observantur omnibus tineae speciebus, irritatione et inflammatione e causa externa productae, neque differunt a pustulis porriginis favosae (v. s.). — Exulceratio est sequela purulentationis complicatae cum irritatione et inflammatione. — Crustae partim ex pure pustula-

2) Cf. Nouvelles récherches sur la structure de la peau par M. G. Breschet et Roussel de Vauzème. Paris 1835. p. 73 sq.

rum, partim et ut videtur maximam partem ex fluido secreto ulcerum formantur.

Complicatio morborum radicum cum morbis cutis facit species tineae:

Quonam cum morbo radicum atonia mera sit coniuncta, nulla est observatio, quae demonstret. Esse autem radices tabescentes, verisimillimum. Prima igitur species est: *atonia mera* (cum tabe radicum). *Tinea decalvans.*

Atonia cum irritatione cutis et tabes sicca radicum speciem alteram format. *Tinea furfuracea* (nomen ex squamis).

Inflammatio, purulentatio in circuitu radicum tumescentium, mollium (*achores*) *exulceratio* et *crustarum* formatio tertiam speciem componunt. *Tinea scutulata et lupinosa* (nomina ex forma crustarum).

Complicatur *atonia* cum *inflammatione* et *achoribus, tabes* humida radicum cum *mollitie*, tumescentia et exsudatione, unde quarta oritur species. *Tinea granulata* (nomen ex crustis, quae squamis et fluido mixtae durae fragiles granulatae redduntur).

Num transire possit una species in alteram, nondum observavi.

Ad curandam tineam omnibus hisce respectis necesse est ante omnia reducere morbum complicatum ad morbum cutis simplicem. Num primis morbi gradibus radices affectas sanare liceat, nondum constat. Maxima sine dubio spes esset tabe humida et incipiente tumescentia molli. — Morbo magis adulto autem ubi destructio maiores gradus ascendit, evellantur radices necesse est. —

Radicibus vero remotis una quaeque conditio cutis secundum doctrinam Illustr. Prof. *Nasse* curanda. Atonia mera poscit irritamenta; ubi atonia cum irritatione irritantes faeces

primum removendae, deinde autem irritamenta adhibenda. Species tertia methodum antiphlogisticam: sanguinis detractionem, frigus, emollientia, adstringentia antiphlogistica, secundum gradum mali seligenda poscit. — Specie quarta methodus antiphlogistica et coniungenda est et praemittenda irritanti, hac in specie autem inprimis borax, cuprum sulphuricum et plumbum sunt indicata.

VITA.

Natus sum ego, *Fridericus Adolphus Herr,* oppido Nassoviense Hadamar die XIX mensis Februarii a. MDCCCXXXVIII. Patrem *Augustum Herr*, praeceptorem Gymnasii Wetzlariensis et matrem e gente *Thies* Deus optimus adhuc bene valentes mihi servavit. Fidei addictus sum evangelicae. Gymnasium Wetzlariae directore *Herbst* florens per novem annos frequentavi. Inde cum testimonio maturitatis dimissus sub finem mensis Octobris a. MDCCCXXXIV. in almam litterarum Universitatem Fridericiam Wilhelmiam Rhenanam me contuli ibique Rectore t. t. Magnifico *Naeke* in numerum civium receptus apud Cl. *E. Bischoff* t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum Spectatissimum nomen professus sum. Per quatuor deinde annos in hac Academia versatus sum, studiis per annum unum morbo interruptis. — Praelectiones, quas audivi, hae sunt:

I. *Philosophicae.*

Logicen et Psychologiam apud Cl. *van Calker;* Botanicen universalem apud Cl. *Treviranum*; Botanicen pharmaceuticam apud beatum *Nees ab Esenbeck*; Physicen experimentalem apud beatum *a Münchow;* Mineralogiam apud Cl. *Nöggerath;* Chemiam experimentalem, Phytochemiam et Zoochemiam apud Cl. *G. Bischof.*

II. *Medicae.*

E medicorum ordine praeceptores mihi erant: de Anatomia generali et speciali Cl. Cl. *Mayer* et *Weber;* Anatomiae repetitorium mihi tradidit Cl. *Weber;* de Physiologia Cl *Mayer;* de Pathologia generali et Semiotice Cl. *Naumann;* de Materia

medica, de formulis rite conscribendis, de medicina forensi, de Epizootiis Cl. *E. Bischoff;* de Magnetismo animali Cl. *Ennemoser;* de Therapia generali Cl. *Harless;* de Therapia generali et speciali, de Anthropologia, de morbis psychicis, de educatione medici, de experientia et experimentis Cl. *Nasse;* de Chirurgia, de Anatomia chirurgica, de morbis oculi humani, de operationum chirurgicarum praeceptis, de fasciis Cl. *Wutzer;* de arte obstetricia, de morbis infantum, de instrumentorum obstetriciorum doctrina, de fracturis et luxationibus Cl. *Kilian*, Decanus h. a. spectatissimus. — In exercitationibus practicis duces mihi fuere: in arte cadavera dissecandi Cl. Cl. *Mayer* et *Weber;* in exercitationibus obstetriciis ad phantoma, et in Clinico obstetricio Cl. *Kilian;* in Clinico propaedeutico et therapeutico Cl. *Nasse;* in operationibus in cadavere instituendis, in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico Cl. *Wutzer*. —

Quibus omnibus viris maxime de me meritis, pio animo maximas, quas possum, gratias et habeo et semper habebo.

THESES.

1. *Mania sine delirio non est.*
2. *Vivum foetum interdum perforare licet.*
3. *Indicatio sectionis caesareae altera, quam dicunt, relativa, rarissima in primiparis.*
4. *Vesania omnibus propinqua.*
5. *Empyematis in bronchum aperti operatio nunquam indicata.*
6. *Partum praematurum in primiparis instituere licet.*
7. *Laesiones per individualitatem lethales absolute lethales.*
8. *Narcotica per sanguinem in organa nervorum centralia agunt.*
9. *Exanthemata sola in distans contagiosa.*
10. *Qui errorem intelligere non potest, vesanus.*


I.
1.
2.
a
a
b
b
c
3.
II
1
2
3
4
a
b
5
III
1
2
a
b
b
a
b
3
c
d
e
f
4
A.
B.
a
b
c
d